

## **De pulvere sympathico dissertatio / [Nicolas Papin].**

### **Contributors**

Papin, Nicolas

### **Publication/Creation**

Patavii : Typis Matthaei Cadorini, 1654 [i. e. 1655]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ngsfu9gd>


### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



PAPINI

—

1855











39643/A  
+ 39644


A.I. i (181)

Warren  
20/11/10

WELLCOME  
HIST. MED. MUSEUM



24819





N. PAPINII  
PVLVIS  
SYMPATHICVS.



N. PATENT

1793


SYMBAT NICHOL





PATAVII, Typis Matthæi Cadorini.  
 Super. permissu. M.DC.LV.





N  
V  
W  
G  
A  
PAT



NICOLAI  
PAPINII

Blæsenfis M. D.

DE

PVLVERE SYMPATHICO

Dissertatio .

*Amplissimo & Excellentiss. V.*

GVIDO ANTONIO

ALBANESIO

Dicata .



---

PATAVII, Typis Matthæi Cadorini.

*Super. permissu. M. DC. LIV.*



24819





*Amplissimo, & Excellentiss. Domino,*

**D. GVIDO ANTONIO  
ALBANESIO,**

In Patrio Patauino Lyceo Medicinæ Theoricæ  
Ordinariæ Professori celeberrimo, Domino  
ac Patrono enixè colendo,  
perpetuam felicitatem P.



*Vetorum scripta perinde ac  
nummi non multitudine aut  
mole, sed vi ac valore pensi-  
antur. Prasens opusculum,  
de Pulvere Sympathico  
Nicolai Papinij, mole qui-  
dè cernitur exiguum, sed succi & abdita cuius-  
dam ac admirabilis doctrinæ refertum a cōmuni  
hominum sensu existimatur: a quibus etiā eni-  
xè optatur, disquiritur efflagitur: quas ob cau-  
sas dedi operā, ut denuo publicam prodeat in lucē.*

*Non habui autem diu cogitare cui offerrem:  
cōfestim quippe Tu Amplissime, & Excellentiss.  
Domine, mihi in animo occurristi; cuius admi-  
randa virtutes cum insigni nobilitatis ac erudi-  
tionis splendore consociata, non Italia modo, sed  
totius quoque Europæ vastos terminos peruaga-  
te, cunctas Heliconis oras radiorum fulgore il-  
lustrant. Præterea res etiam ipsa ad te vocat.*

*Enim-*



Enimvero quemadmodum Sympathicus hic pulvis  
eximis Natura arcanis eratus eximia cum mor-  
taliū exercetur utilitate, sic Tua iam diu  
in vniuersa Republica litteraria spectata vir-  
tus, abdita Sapiētia ac Medicina arcana ad  
vitae commoda in lucem eruit; eaque Tu ē  
sublimi suggestu incredibili facundia ac facili-  
tate creberrimo undique confluenti Auditorum  
confessui aperis, apertisque, adiuncta insuper  
diuturna ac salutari experientia, & singulari  
quadam prudentia, utiliter vteris ad profligan-  
da morborum monstra, eximia cum omnium  
eorum, quicumque ad te confugiunt, utilitate  
& salute. Quo fit, ut nemo vspiciam sit, qui  
te non vnicū admiretur, colat, veneretur.

Accipe itaque quicquid hoc est a me hu-  
maniter; mole quidem perbreue, sed cultus &  
obseruantia mea erga Excellentiam Tuam pi-  
gnus ingens: aternique nominis Tui, & glo-  
ria nunquam intermoritura hieroglyphicum.  
Et qua maxima polles humanitate me in Tuam  
clientelam admitte.

Deus Opt. Max. Te quamdiutissime sospi-  
tem ac felicem seruet.

Parauij Cal. Aug. An. M. DC. LIV.

Ampliss. Excellentiae Tuae

Humillimus & obsequenti ss.

Matthaeus Cadorianus.



## PRAEFATIO.

**R**erum natura sacra sua non simul tradit ;  
 (inquit Seneca lib. 7. *Quæst. natural. cap.*  
 37.) Illa arcanâ non promiscuè, nec om-  
 nibus patent reducta & inferiore sacrario clausa.  
 Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post subibit.  
 accipiet. Hanc certe sententiam, si quid in *Medici-*  
*na nostris temporibus confirmat*, mirandus ille modus  
 corpus humanum ab infligendis exterius vulneribus  
 vindicandi nouissime inuentus per Sympathicam Pul-  
 verulenti cuiusdam remedij adhibitionem, raris imo  
 frequentibus experimentis applausus primas mereri  
 videtur. Hic enim non modo secretiora naturæ in-  
 actionibus plerisque edendis opera detegit, quæ ne anti-  
 qui etiam scientiarum antistites subodorati sunt ; ve-  
 rum etiam nec medicamentorum sumptu, nec tempo-  
 ris tarditate egros fastidians, ac deperditam sanitatem  
 longe tutius, citiusque resarciens, nouas, & longè poten-  
 tiores generi humano τὰ θεῶν χεῖρες, ut habet *Me-*  
*dicina* parens, quam quibus antiquitas posita est, at-  
 tulisse videtur.

Hunc ut primum venditari percepi chymicum  
 quid, irridendumque figmentum existimare non veritus  
 sum. Perùm cum addita grauiorum virorum testimo-  
 nia nouerim, mirari nonnihil cœpi : tandem aucto-  
 ritates dicunt propria, & frequenti experimenso edoctus  
 ignota



ignote prius reidauinctissimum asseclam me profite-  
ri coactus fui. Non amplius igitur an res, sed quid,  
quo pacto fieret, sepius percontabar. Verum in gee-  
difficultatum mare undiquaq; fluctuare videbatur,  
donec anno iam plusquam elapso in Cretam profectus  
scens, in Zeyntho temporis iniuria, & iugibus ma-  
procellis deuentus frequenti Urbis medicorum con-  
fessio, & colloquio usus, venit aliquando, ex occasio-  
mira Pulveris Sympathici virtus discutienda. Fin-  
quens aderat non mediocris eruditionis virorum con-  
tus, cuius potior pars solo eiusmodi Pulveris nomine  
in cachinnos soluebatur: alij vero quibus, ea ipsa  
Insula, eruditissimi cuiusdam Chirurgi continuis  
perimentis, de rei veritate satis constabat: ipsius  
men effectus supra naturæ vires, illegitimumq; vss-  
mordicus assercbant, nec verebantur quidem expli-  
to, aut implicito saltem cum Cacodæmone fœdere  
damnare, qui ipso uterentur. Solus igitur restiti, qui  
hostium telis clypeum opponerem. Res adeo pol-  
demonstratu videbatur, & hic merito dici poss-  
quod olim Hipp. de ijs quæ in sublimiori aeris par-  
ac intimis visceribus terræ extra oculorum percepti-  
nem contingunt, lib. de Prisca Medicina. Quod li-  
ea fieri posse sciat, qui de ipsis sermonem instituit  
vix tamen audientibus manifestum satis fieri,  
rane sint, an secus. Neque enim est ad quod qu-  
se conferat, vixque cui innitatur, ut veritatem  
gnoscat. Genio tamen non defuit. Imo ipsa veritas  
aliquid



iquid forsitan extra solitum suggerente, rem ita ex  
tempore pro tenuitate mea exposui (absit iactantia)  
omnes non mediocriter approbarent, mihiq; gratu-  
rentur. Ipsammet deum dum conscribendam susce-  
psem noua subministravit otium, quæ subiecto com-  
plementum afferre visa sunt. Tandem ex Lyricicon-  
silio: Integrum pressa in annum ne illud ex Mytho-  
go mihi exprobaretur quod Κύων σπεύδ' ἔσται τυφλὸν  
ἰκτεῖ; & non mediocris famæ virorum approbatio-  
nem naçta; quippe ut consulit Poeta,

Si quid tamen olim  
scripseris, in Metij descendat iudicis aures  
Et Patris, & nostras.

Suo me suasu Amici, multorumq; desiderium facile  
adduxit, ut rem quam hominum invidia inter priva-  
tos, ut ita dicam, parietes arcanam hætenus detinuit,  
oculis totius mundi primus apponerem. eoq; libentius  
assensi, ut eius deinceps ad summæ lucis fastigium de-  
ducendæ eximioris sortis ingeniis viam reserarem.  
Quod si non adeo facili negotio, sedulo tamen studio  
breui absolutum iri non desperandum, modo ut enixè  
optat Scaliger lib. i. de plant. Vicissim ac liberali-  
ter unusquisq; in medium conferat quod ad gene-  
ris humani vtilitatem, ac rei literariæ incremen-  
tum habet. Nisi forte cum eiusdem authoris verbis  
qui nobis ex adyto fuit concludendum sit, quod mul-  
tum



tum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non  
gerunt. multum adhuc restat operis, multum  
stabit; nec ulli nato post mille secula præcludi  
occasio aliquid adhuc adiiciendi. *Ignosce*  
*Lector in re noua, & meliora imperti.*



quantum  
negere ex  
lopatia  
rea, so  
futione  
curs ad  
glicheb  
nos me  
rea lara  
zissimp  
Ne qu  
bos ore  
separat  
Ande



# NICOLAI PAPINII

De

## PULVERE SYMPATHICO DISSERTATIO.



Rdua persequi difficultatis laborisue causa qui veretur, eadem assequi indignus est; nec nunculum degustare meretur, quem tædet perfringendæ nucis. Nil mirum idcirco, si perobscuræ quæstionis, & mille obvolutæ tricis veritatem detegere exoptans, de pulvere illo scilicet, qui nullo partis affectæ contactu, inflicta quæcunq; vulnera, sola eiusdem super effusum sanguinem insperione consolidat. Illud docere aggredior, cujus ab alijs addiscendi frustra dudum desiderio gestiebam: rem enim alijs exposituri, longe altius meditamur, & nova detegimus, quæ nos antea latuerant; unde primi fructu potimur, quem alijs impertiri lubuit.

Ne quem autem longis fastidiamus digressionibus, breuitate, quam res permiserit, præsentem disceptationem sub titulis sequentibus dilucidabimus.

An detur medicatio per sympathiam?

B

Quid



Quid sit pulvis sympathicus?

An detur actio in distans?

Quonam pacto conferat ipse pulvis vulnerum curationi?

### Q V A E S T I O I.

*An detur curatio per Sympatheiam?*

**H**ominis esset otio plusquam abutentis, ed  
causis reicujuslibet tam intrinsecis, quam  
extrinsecis percontari, priusquam de ipsius reaa  
ac vera existentia in rerum natura constet: unde  
pro more recipitur doctis, ut de quavis disciplin  
sententiam prolaturi, antequam quænam, & prop  
ter quid ea sit figillatim explicent, in dubium  
renocent prius, an ipsa de facto, vel possibili ex  
stat, ut perceptæ existentia, velut fundamentu  
futurum sermonem superstruere possint. cui qu  
dem assentientes methodo, asserimus primò, quoc  
cum sympathia sit communis quædam affectio  
qua diuersa ad eandem concurrunt actionem,  
eundem assequi finem exquirunt, sicut agent  
actionem libenter patiens admittat, agens ve  
proprio naturæ suæ impulsu in patiens aptum  
actionem suam edat, nihil sit dubi, quin per mo  
dum ipsius sympathias quamplurima in reru  
natura contingant,

Vt:



Vt autem de primis, secundis, cæterisque elementorum qualitatibus nihil dicamus, quippe quæ intimam actionis suæ rationē oculis, & intellectui nostro offerunt, & manifesto modo inter se agunt, reagunt, patiuntur, & repatiuntur, apud omnes fere jam obtinuit usus, vt ea solum sympathicè, & antipathicè agere dicantur, quæ occulta quadam ratione, & qualitate ab elementaribus longe discrepante, inter se communicant, vel mutuo se perimunt: cuiusmodi actionem idcirco à tota substantia prodire, & humanum intellectum eludere vulgo existimant.

Sic mutuo agentis & patientis concursu, vel renixu, succinum festucam, magnes ferrum, magnetem Cynosura allicit. Sic viventium corporibus viridi smaragdi colore visus oblectatur, offenditur rubro granati. Gemmæ quamplures miræ præstant in nobis sine vlla manifesta causa, quæ possit ad primas, hincq; dependentes qualitates referri. Sic adamas lætitiā, ut & granatus, smaragdus, &c. impertit. Sapphirus, Smaragdus, uniones, &c. castitatem conciliant: & quod cæteris admiratione longe antecellit, Aetites foetum humanum ad se prolicit, siue ipsum collo suspensum, vel cruri alligatum tulerit mulier vtero gerens. Idem pariter circa appensos arboribus fructus præstat, vt proprijs oculis in ficu expertus sum. Huic enim submisso lapide, omnes sponte grossuli minus ho-



ris decem deorsum ceciderunt. Nota autem hinc : arborem sterilem redditam, sed frondibus solito viridioribus luxuriasse.

Secundo vt ab eiusmodi generalioribus actionibus sympathicis, quæ in hac mundi scena, tam circa animata, quam inanimata contingunt, ad peculiare virtutes descendamus, quibus corpus humanum ab affectibus morboſis ipsum alioquin ad interitum deducturis, per modum sympathieas & antipatheias vindicatur, quis negarit viscum quernum, & radicem pæoniæ amuleti instar gestata, epilepsiam si non solvere, à paroxysmorum salutem frequentia coercere? Antirrhinum & per vinca ab incantamentis liberare creduntur. Phtiriasi gestato hydrargyro nihil efficacius; nec arsenicum, sublimatum, aut auripigmentum prophylactica sunt tantum luis pestiferæ, sed & Therapeutica validissima aduersus eandem, si concinnè præparata circa se portaverit æger. Lapidis hieriei virtutem contra morbum caducum, nephritici aduersus vtrumque renem & vesicæ calculum; Calcidonij aduersus affectum melancholicum, Chelidonii, pro curandis lunaticis, pauci, me hercule, inficiantur: & vt ad rem veniamus, pulveris sympathici miram in vulneribus sanandis & ad perfectam incolumitatem deducendis, energiam soli evertere tentant, quos experientie defectus in errore pervicaces detinet.

Verum prius allatis experimentis assentiunt:

mul-



## SYMPATHICO.

multi, qui nulla ratione eò adduci queunt, vt dicti pulveris efficaciam admittant: quoniam impossibile ipsis videtur, sympathicam ejus virtutē adeo longe diffundi, vt in parte affecta, & corpore quod nunquam attingit; imo, & in patiente remotissimo efficax sit. Cæterorum enim sympathicorum effectuum, quorum exempla nonnulla retulimus, & longe plura apud authores fide dignos prostant, hanc reddunt rationem, quod cum amulet, similiaq; pensilia corporibus nostris apponantur, facile sit vt spiritus per corpus influentes (quorum perpetua fit ad peripheriam translatio, hincq; jugis ad interna palindrome) & insitos per consequens alterent, & salubri quadam dispositione impertiant: vnde cum non leve toti naturæ iuvementum cedat, se veram morborum debellatricem prodit. Perspicaciores pariter Philosophi norunt tenuiores æthereasq; substantias à quolibet animato, inanimato, animali, vel minerali, & fossili extra corporis circumferētiam effundi; unde nō mirum si eæ cōtinua illa epirrhoia, in non-nihil distita & vicina saltem corpora se diffundant, & in ipsa proprijs sibi qualitatibus agant. Quocirca tractio ferri per magnetem, quæ ad determinatam quandam fit distantiam, ut & cætera superius allata, mentem nostram tanta admiratione non commovent, nec prorsus humanum captum superant. Verum quonam pacto sympa-



thicus noster pulvis potentes adeo effectus producat in corpore nunquam contacto, & sine ullo loco termino, Philosophorum, ac Physicorum dogmata cuncta deludit, nec fidē mereri videtur.

Verum enim vero rem, quæ tot quotidie experimentis omnium oculis subiaceret, & quæ solissimè inexpertis occulta est, negare, ac rationum momentum euertere velle, hominis plusquam socordis est. Præstat enim obscuræ rei, modo veræ, indagatiōi sedulæ incumbere, quam peruicaciā erronea ipsam inficias ire. Nec quoniam eius capiendæ impotes, ac inhabiles sumus, ipsius possibilitas mentis nostræ tarditate metiendā est. Alii qui dari reapse eiusmodi sympathicam vulnerrum medicationem per dictum pulverem, assentiunt, re qui recusat, solam consulat experientiam. Ipsi enim proprio fultus experimento, & communis doctiorum assensu, qui per universam fere Europam nihil aliud prædicant, mirantur, stupent, veritatem lubens amplector.

Hic autem non simplicia, leuiaq; modo vulnerrum intellige, quæ sola ferè natura, leui Chirurgico ope ad sanitatem reducit: ea tantum enim pulvis veris auxilio perfanata miror, quæ Medicinæ proceres lethalia decreuerunt.

Quis non enim illum deridebit, qui vulgari methodo pericardii, tenuiorum intestinorum, vesicæ, & similium partium vulnere affectarum redin-



redintegrationem polliceatur? Verùm talia dicti pulueris opera sæpius patrata ocularem testem me prodo, idemq; ab indubiæ fidei viris accepisse obtestor. Testem te voco oculatissime Chassenæ, qui eiusmodi stupenda toties obseruasti, teq; plurimum experte Carmæ, à quo tota fermè Græcia reportatam in Chirurgicis palmam fatetur, condonat, gratulatur. Quoties namq; obseruasti, quæ Galenica remedia non curant, eiusmodi pulverem sanitati restituere, quæ vero ipse persanare nequit, incurabilia permanere?

Illi, quos tantis refragari experimentis pudet, aliquid tandem magiæ hic subesse asseuerant, quippe quod ne naturali quidem modo adeo miranda fieri capere possit animus, hincq; ignarum vulgus, superstitionis metu, auocant & arcent, ac tale remediũ, si fides ipsis habenda, à cõmuni praxi exfulare debet: Sicq; odium suum in pulverem, vel rudẽ ignorantiam circa naturæ miranda detegunt.

Verùm quorsum inepta hæcce nenja ipsi etiam irridenda vulgo? Illicitam enim magiam quis nescit vel futilem esse, vel à diabolo solo traditam, quem tot beneficiorum, quæ ab illo pulvere procedunt, authorem arbitrari non permittit infestissimum ipsius odium in genus humanum: nec facile adducetur sagacioris animi compos, ut verum misanthropum sathana tantum gratis remedium hominibus impertitum esse crediderit. Si



quosdā te enim eiusmodi pollicitis deludat, animam profecto sibi præmium quærit. Verum quissimadeo inconcinnae mentis, solos, qui cum diabolo foedus inierint, sympathico pulvere, optato fine uti posse crediderit?

Si vero diuinum velut auxilium hominibus detectum, largitumq; sit, non negandum propterea quin causam in natura determinatā agnoscat. Vix possum etiam, quin derideam crassioris Mineruæ homines, qui tantā diaboli arbitrantur potestatem, ut supernaturalia ad libitum patrare possit; quæ Deus Opt. Max. qui naturæ legibus sæpissime se adstringit, quoties circa naturalia aliquid agere velit, tantam creaturarū longe deterrimæ potentiam largiatur; ne quis nisi leuifidus morbum suam natura lethalem ope diabolica perfanari posse crediderit.

Constet igitur nullo refragante dubio, non modo de possibili, verum & de facto, & de contingente, dari in rerum natura curam morborum sympathicam: vulnerum vero potissimum per pulverem illum mirandum, cuius vera descriptio, præparandi videlicet, & utendi modus inferius prostat. Ut nihil dicamus de mirandis quæ vnguenti armarii ope præstata indubiæ fidei homines scripti s tradiderunt, inter quos nouissime doctissimus Servius peculiari libro.



*Quid sit Pulvis Sympathicus.*

**P**Osita Sympathica vulnerum medicatione ex parte contingentiae, jam sequitur, ut antequam ad causas penitiores ejusmodi actionis descendamus, subiectum ex quo, sive materiam, cui talis inest virtus, exponamus. Ejusmodi autem remedii materiam à diversis diversam admitti certum est, ut constat apud authores, qui plures armarii vnguenti descriptiones tradiderunt.

Verum cum vnguenta illa Sympathica pluribus remediis consent, nec apud ipsosmet eorum inventores statutum sit, an totius compositi energia ab aliqua specifica componentis cujusdam proprietate, an vero à forma ex ingredientium omnium mistione exsurgenti procedat, vix possumus de vera ejusmodi remedii natura ullum ferre judicium, ne toti composito, quod ex unico remedio promanat, vel contra unico tribuamus, quod totum sibi jure vindicat. Elegimus idcirco pulverem illum omnium ore percelebrem, paucis ab hinc annis inventum, & summa humani generis utilitate apud omnes fere disseminatum, cujus pariter virtutem repetita experimenta nos docuere; quippe qui cum unico praecipue remedio eoque simplici constet, veram ipsius energiae causam,

tum



tum materie, tum præparandi ratione, perscrutari & investigare multo sit facilius. Vnde forsitan ingenia majori sciendi desiderio impulsa, aliqui colligere poterunt, quod opem non leuem ferant ad armariorū vnguentorum virtutem detegendā.

Constat autem ipse Pulvis, pro natura vulneris, cuius aggredienda est cura, vel vnico simplici remedio, eoq; præcipuo, & à quo potissima pendet virtus, vel duobus simul mistis. Simplici inquam cum inflicto vulnus, nulla ossis fractura, vel fissura complicatum fuerit, seu partes solū molliores obfederit, siue sint carnosæ, siue nervosæ, membranosæ, &c. Composito, vbi fractura vel fissura ossis ingēs molliorū partium solutioni accesserit.

Pulveris simplicis materia vitriolum est Romanum, h. e. viride illud & purissimum, quod atramento futorio Galeni adeo absimile non est, ipsum tamen omni puritatis genere superat. Hoc autem non ita simplex, & non præparatum sympathicam virtutem possidet, quamvis nullo præmisso apparatu, ipsum, qualem nobis natura suppeditat, prospero successu vsurpasse plures audierim: ejus enim potissimam virtutem à præparacione pendere norunt, qui nulla apparatus artificio ipsum in usum traxere. Quale enim venale proficit, nullius fere est virtutis ad medicationes sympathicas, vbi potissimum cum pervicaciori affectu nobis agendum est.

Talis



Talis autem est ejus præparandi modus. Arbitraria hujus vitrioli quantitas, mense Julio vel Augusto accipitur, & postquam repetitis dissolutionibus ex aqua limpida, filtrationibus per chartam emporeticam, evaporationibus ad ignem, ac coagulationibus in loco idoneo, prout ars pyrotechnica docet, à fæculento magmate liberatum fuerit, summamq; viriditatem puritate consequutum fuerit, contunditur crassiusculè, & ferventioribus solis radiis, dum versatur in Leone, per horas 360. exponitur, h. e. diebus quindecim, vel ut alii malunt, per quindecim, vel octodecim dies, plus, vel minus, prout ad perfectiorem, vel minus perfectam calcinationem devenerit: quam quidem ut præcipuum moræ suæ terminum ad solis radios agnoscunt. Solis enim opera ad summam quam fieri potest albedinem ipsum calcinari necessum est.

Hic verò notandum primo, aerì solùm admo- uendum esse, cum serenus ipse fuerit, atq; amouendum tempore pluviæ & imbrium, roris & humidioris temperiei, ne nimia ambientis humiditate vel affluxu delabentis pluviæ, aut roris, in liquorem abeat.

Secundò vetant aliqui, ne vlllo ferro ipse pulvis tam dum fit, quam cum factus est, tangatur, quod insitam ipsi facultatem adimat: hoc vero supersticiosum magis crediderim.

Ter-



Tertiò quoad tempus, quo ipsum soli exponere incipiendum est, scire expedit, solem ingredi solitum Leonem circa diem 25. Iulii. Præstat autem quartum, vel quintum ab ingressu diem expectare, vt certiores simus de ipsius exaltatione in propria domo.

Quartò circa tempus, per quod ipsum Pulverem soli exponi conuenit, licet nonnulli, vt supra admonuimus, spacium horarum 360. non sine quadam mysterii specie, (propter eundem graduum numerum, quem sol quotannis peragrat) obseruari debere existiment; cum tamen non eadem sit semper caloris solis conditio, sed nunc hebetior nunc vero vegetior sit, & præcipua præparationis perfectio, calcinationis ratione metienda sit, non ita scrupulose agendum arbitror. Quamuis enim minori temporis spacio, quam quod determinatum est, dierum sc. quindecim, solaribus radiis exponi non debeat, parum tamen me hercle interest, si paulo diutius in ipsis permaneat; te enim etiam inuito sol actionem suam in obiectum prius pulverem edere non desinet, quantumvis ipsum loci, & tegumentorum obstaculis amoveas, dum exaltationis suæ domum peragrat. Fallitur nimis, qui ita imbecillem corporum cœlestium virtutem arbitratur, vt non sine proximo radiorum suorum contactu in sublunaria, influxus, & actiones suas producere possint, licet nonnihil imbecillius eas exerant -

Pul-



Pulvis tandem diligenti naturæ, & artis ope apparatus, usui asservandus est in loco temperiei ficcioris, ne excrementitia humiditate recuperata, pristinam formam assequatur, naturalisq; color revirescat; vnde non levis sequeretur ipsius virtutis diminutio, si non jactura omnimoda. Verum quoties negligentius asservatus humiditate nimia recruderit, vel in liquorē abierit, levi calore ad pristinū statū reduci debet, antequā i usū veniat.

Nota demum pulveris ejusmodi virtutem adeo alte ipsi insitam esse, vt per plures annos inculpata asservari possit, nec annua renovatione indigeat. De Pulvere simplici hactenus.

Pulvis vero compositus, quem vulneribus ossium fracturæ vel fissuræ junctis competere diximus, constat Pulvere simplici prius descripto, & gummi tragacantha, quod, nullo premisso apparatu, sub forma tenuioris Pulveris, æqua fere quantitate ipsi immiscetur; Ad id etiam, nec leviori efficacia, sarcocollam, gummi arabicum, & alia quamplura gummi genera vsurpari posse non nulli arbitrantur, alij vero symphiti maioris in umbra ficcati Pulverem cæteris rebus anteponunt, quorum fides sit penes experimenta.

Cæterū potissima ejusmodi mixturæ virt' basin fidamētūq; suū Sympathicū Pulverem ex vitriolo parato, acceptū refert. Quidquid enim gūmi energie habet, solo dicti Pulveris auxilio foras educitur.

QVAE-



*An detur actio in distans?*

**E**Xpositis haftenus Pulveris Sympathici materia, & parandi ratione, sequi solum videtur ut ad modum deveniamus, quo vulneribus persanandis confert, tum ratione causae internae, tum externi apparatus. Verum cum ad rem altius indagandam parvi momenti non sit nosse modum quo agentia patientibus admoveri debent, ut ipsa actiones suas prodant, an scilicet immediate, an ad distans mediatum; an vero ad reale distans obiecta sibi corpora afficere possint. hanc prius disceptationem explanare aggrediamur, & facilius postea nullo obice, detectum rei nucleum degustemus.

Futilem, meo arbitrio, & penitus inutilem quaestionem, quae nobis praemanibus versatur, arbitrari non verebitur primo intuitu nasutus quidam Philosophus: quoniam apud omnes fere confessio est, omne agens in obiectum sibi corporeum tantum agere, quod ipsi applicetur; vel immediate & per contactum immediatum, contiguitatem agentis ad patiens, vel Physice ut dicunt, contactu, h. e. per medium utrisque intercedens, sive fuerit substantia ab agente promanans, & in patiens se diffundens, sive aliquid tunc

tuum;



tum, quod instar vehiculi, qualitate necnon agentis facultate indutum, in patiens ipsa transfundit, & vice primi agentis subiectum afficit.

Verū tot sunt agentia in rerum natura quæ ad distans reale, h.e. sine ullo intermedio, operationes suas producere videntur, & quorum instrumentum secundum, siue intermedia in operatione substantia adeo perspectu difficilis est, ut nullam interesse fere cogamur assentire.

Viden' ut astra intimiora terræ viscera penetrent, & ad fossilium metallorumque productionem ipsam disponant; vegetabilium germinationi & incremento faueant, & animalium, hominum præsertim corpora, & animos ad certas dispositiones conducant? Noris Lunæ incrementa, & decrementa, maris reciprocis motibus, totique generi humido cœlitus dominari; Cynosuram sibi allicere magnetem: nec minus digna miratu inter sublunaria peragi, exempla in prima quæstione allata testantur. Ejusmodi autem operationes nemo est ita stolidus qui mathematico contactu fieri dicat, cum locorum intercapedo oculis subjaceat. Atqui si naturali dixeris, & intermedia substantia, an nescis qualitates illas agentium proprias è subiecto in subiectum diversæ naturæ migrare non posse; nec aerem, qui cœlo terræque interiacet, idoneum esse cui cœlestes qualitates inhæreant: nec esse pariter credibilem tantam  
sub.



16 DE PVLVERE SYMPATHICO.

substantiæ corporum cœlestium diffusionem, & influxum deorsum sine manifesta eorum læsione, atque notabili decremento perennare potuisse?

His fere persuaderer, actiones ad instans reale, & absq; corporum contactu, intermediove vehiculo admittere, nisi semper mihi antiquum duxissem axiomatibus nunq̃a refragandum, quæ nobis scientiarum proceres tradidere; & si quid in communi ac ordinaria praxi ipsis refragari videtur, vel diligentioris perquisitionis, vel ignorantie facienda occasionem esse debere.

Mea igitur hæc est mens, cum Philosophia penetribus, nullam dari naturalem actionem, quæ non edatur per contactum, vel mathematicum vel intermedium: & quod operæ pretium fuerit huic axiomatici nihil obsistere Pulveris Sympathici energiam, sequenti quæstione probabimus.



QVAE



SYMPATHICO.  
QV AESTIO IV.

17

Quonam pacto conferat Sympathicus Pulvis  
vulnerum curationi?

P A R S P R I M A.

*De Causis extrinsecis, siue apparatu externo.*



Estat jam ut modum aperiamus, quò  
Pulvis noster vulneribus sanandis  
confert; h. e. quamam interna ratio-  
ne, & quo apparatu externo. Hunc  
autem posteriorem primò exponemus, eo quod  
ad prioris investigationem aliquid etiam confe-  
rat. Sic itaq; usurpatur Pulvis.

Vulneribus recentibus, & è quibus adhuc ema-  
nat cruor, immergitur linteum mundum idq; vel  
è lino, vel è cannabe confectum. Cujus loco suffe-  
cerit panni quodlibet genus, vel solida ferè quæ-  
libet substantia, donec fluente ex parte sanguine  
intingat. Huic inspergendus Pulvis, & alio pan-  
no cuncta simul inuoluta asserventur, loco tem-  
perato, eoque vel vicino, vel quantumvis remoto  
à patiente. Præstat tamen moderata loci interca-  
pedo. Sin vulnus jam inveteraverit, & degenerarit  
in ulcus, eodem prorsus modo materia ex affecta  
parte manans, siue pus, siue sanies fuerit, linteo

C

com-



committenda, aspergenda pulvere, & sedulo affertenda: tum vulnus, vino tepido prius ablutum, & panno minime sordido obtegendum est, & pannus nouus, ac mundus alternis diebus, vel sæpius, prout manantis sorditici copia exquirere videbitur, pro inquinato mutandus est. Sordidi autem panni simul coasservandi sunt in loco pariter moderatæ temperaturæ. Non est tamen quod pulvere inspergantur, nec vulnus plusquam semel vim abluere necessum est: quin etiam hoc multi omittunt.

Nota autem, quod si vulnus exterius fuerit, sufficiet permittere vt sanguis effluat in pannum, sin interiores etiam partes affecerit, ipsi penitus immittendus est pannus, ut læsam pariter attingat partem.

Nota secundo, quod quocumque modo infectum vulnus fuerit, eadem sit Pulveris virtus. Nec enim hic locum obtinet quod *Sennertus lib. præd. 5. par. 4. cap. 10.* in vnguentum armarium obiectum, quod nullus qui de eo scripserit, ausus sit vim ejus ad illata à sclopetis vulnera extendere. Quinimodum ejusmodi vulnerum ipsius Pulveris ope persanatorum insignia mihi non desunt experimenta, quæ multorum fides confirmat.

Nota deniq; loco mutanda esse lintea, illi præsertim sanguine, & Pulvere aspersum, pro cuius pars intemperie tentatur. Si calida enim intemperies partem invaserit, loco frigidiori, & humidi-

diorino



diori asservari debent, velut sub terra, sed inclusa pyxide ex electo, aqua aut niue mergantur, donec pars elapsam nacta sit temperaturam: si vero frigida dyscrasia partem occupaverit locus temperie contrarius pannis asservandis deligendus est. Hæc de vulnere simplici.

Si vulnus ossium fracturæ complicatum sit, fragmenta foras educenda sunt quæcunq; periosteum nudata fuerint. Sin vero fractura æqualis, ut in speciebus quæ dicuntur caledon, & raphanodon; vel contriti ossis particulae periosteum adhuc cohæreant, vulnere prius Sympathetice curato, pars hypodesmidibus, epidesmidibus, & assulis, pro more deliganda & fulcienda est: admiscendo videlicet, in curando vulnere, Pulverem gummi tragacanthæ, alteriusve ejusdem naturæ, aqua vel media quantitate, ut superius dictum est.

### PARS ALTERA.

*De causis intrinsecis Pulveris, & modo quo operatur.*

**N**aturam morborum medicatricem bene dixit Hippocrates. Illam enim instrumentariam causam intelligit, qua immediatè utitur anima ad præcipuas facultates in corpore exercendas, tum in vitali, tum in naturali genere.



Idque vel instaurandi vel conservandi causa :  
 Hanc autem intellige non modò elementarem  
 partium commistionem , primarumve qualita-  
 tum crasim , verum & in primis substantiam il-  
 lam ex humido radicali, calido primigenio , infi-  
 toque spiritu conflatam ; Animæ corporisque  
 vinculum ; cœlestium & elementarium hyposta-  
 sim , quam docti cœlum elementare , vel elemen-  
 tum cœleste Microcosmi nuncuparunt . Aristote-  
 les vero τὸν ἀσπὸν σπινθηρῶν assimilat .

Hæc è singulis corporis partibus decidua se-  
 men informat , fermentat , disponit , & subituræ  
 animæ corpus ex subiecta sibi materia efformat ,  
 partibus consimilibus illis è quibus effluxit : sicq;  
 pars à capite excisa , nouum caput , cuius ideam  
 retinuit , conformat : quæ ex corde nouum cor ,  
 Sicq; de cæteris . Hæc enim mens est divini Hip-  
 pocratis . Quam autem sibi efformavit partem in  
 nondum edito foetu , ejusdem officium est ipsam  
 met in jam edito omnibus numeris incolumen  
 servare, vel ad salubritatem reducere, si ex ea for-  
 tè deciderit . Idque si ignota nobis, innata tamen  
 sibi facultate , prout est verum corporis balsa-  
 mum .

Licet igitur Natura illa innata concurret tota  
 ad totius corporis integritatem , conservatio-  
 nem , incolumitatem ; specialiter tamen ejus  
 diversæ particulæ , diversis corporis partibus,  
 qui-



quibus innatæ sunt, opem, adiuventunque ferunt. Hoc vero Medici vocare consueverunt dispositionem partium à tota substantia procedentem. Quamvis enim natura invicem minimè differant ejusmodi particulæ substantiæ innatæ, aliquam tamen habent propriam sympathiam cum partibus corporis quibus insunt, qua ipsis & non alijs insunt, præsunt, medentur. Quod quidem expressisse videtur Hippocrates 6. Epidem. Comment. 5. text. 1. cum in plurali loquens *ἡ φύσις*, inquit, *ἐννοεῖται τοῖς*, *Naturæ morborum medicatrices*.

Cum igitur ipsa natura cunctis immediate medeatur morbis, Medicus illius famulus, ut vocat idem Hippocrates, potissimum sollicitus esse debet de ipsa integra cunctis numeris conservanda, h. e. debet sedulò animadvertere, ut illa tria quæ naturam innatam constituunt, humidum radicale scilicet, spiritus insitus, & calor inter se cohæreant; ne calori humidum pingue deficiat, neve ipse calor pabulum excessu devastet, spiritumq; fraudet. Ratus nimirum, cunctis ad talem moderationem reductis, naturam propria indole ad perfectam integritatem corpus nostrum deducturam.

Hinc est quod Aegyptii, Arabes Philosophi, cunctaq; Cabalistarum cohors remedium illud uniuersale, quod naturæ robur servando omnes



morbosos affectus depellit, ita sedulo exquisiverunt, tantisque laudibus extulere. Hinc Azoth mirabile Paracelsi, hinc lapis vivificus Severini, Crollii, ceterorumq; philochymicorum. Ad hæc etiam docta Verulamii præcepta libro de Vita & morte tradita.

Verum cum talem medicinam plures quæstiverint, invenerint perpauci, & nullus posteritati tradiderit; quos difficultatis tæduit; ex universalli, quæ toti corpori ad particularem, quæ singulis partibus confert, devenere. Hinc cephalica, cardiaca, stomachica, splenetica, & similia, tum experimento, tum characterismo, & signatura detecta, apud Medicos hodie usurpata; quæ, totius substantiæ similitudine, partium quibus-cumque consensum habent, nativam humiditatem, calorem, &c. augent, & inculcata servant; unde perfecta incolumitas, ac morborum expulsio subsequitur.

Porro hæc remedia, quæ ex inanimatis, vegetabilibus, & perpaucis animalibus deprompta, substantiæ similitudine corporis nostri partes afficiunt, quò majorem affinitatem possident cum partibus, quibus addicta sunt, eò potentiuss ipsas roborant, & nativæ substantiæ opitulantur. Haud dubium igitur, si ex emortuo corpore eiusdem speciei possit residuum congeniti humiditatis arte quadam educi, quin futurum sit alteri viventi



ti corpori aptissima medicina. Hinc tot pulveres, sales, tincturæ, magisteria, elixiria, & similia ex humano cadauere & sanguine parata hodie prostant apud Authores. Si vero ex toto corpore adeo efficax singulis partibus medicina paratur, quanto plus auxilii è partibus eiusdem naturæ, conformationis, & figuræ sperandum est? Hinc, non immerito, cranii humani Pulvis, sal, cæteraq; præparationes affectus capitis pervicacissimos solvunt. Ob id per totam fere Italiam celeberrimum fuit nomen cuiusdam Medici, qui solo Pulvere è singulis corporis partibus, propria arte conflato, omnes affectus contra naturam radicitus evellebat: ut si afficeretur caput, Pulvis è capitibus solis peteretur; si cor, è cordibus, & sic de cæteris. Idem etiam apud Arabes hodie in usum esse audivi, qui ex consimilibus corporum partibus, quorum aromatis insolatorum, (Mumias vocant) magna supererit copia, Pulveres singulis viventium morbis & partibus parant. Arte inquam ex emortuis corporibus reliquiæ humidæ innati, & radicalis educi possunt: secretis videlicet partibus, quibus potior eius copia infidet, à sæculento & inutili magmate. Quamvis enim eiusmodi substantia author sit vitæ, dum in corpore remanet, cæteraq; ipsi respondent, & calor vivificus ne momento quidem temporis, sine ipsa, in corpore permanere possit, tota tamen plerum-



que ante mortem euanida nō sit. In illis enim qui violenta morte, sine ingenti excessu caloris obnecantur, integra fere remanet, nec deficit penitus præterquam illis, qui sensim longa senectute, ellychnii instar, ipsam depascunt, vel breui spatium, per adauctum exsuperanter calorem, ceu ignis lecytum pyræ iniectum, eam deuastant. Huius etiam in plantis, & lignis tibi exemplum est. Ex ipsis enim violentius arte collectis ac efficcatis, radicalis, maximeq; vitalis substantia educitur: sin voluntaria vetustate marcescant, & carie obducantur, ne micam quidem eiusmodi extorseris.

Posito igitur, quod educta primigenia substantia ex enecatis eiusdem speciei corporibus, viventia corpora, quibus adhibetur, mira sympathia afficiat, roboret, tueatur: quanto maiori ad id virtute profuturum est existimandum, si ex eodem corpore, eademque parte sublata ipsi rursus affatim reaffundatur, vel secundum magis potentem & efficacem ipsius partem.

Agendum enim spiritales magisq; æthereæ substantiæ ex aromatis, vino, ac plerisq; plantis eductæ, vel solo etiam halitu torpentes deficientesque corporis nostri spiritus, pro naturæ affinitate, necnon deficientes vires momento temporis exsuscitant, reficiunt, instant. Nec idem potiori jure vi sympathias fecerit connata illa

sub-



substantia; individuali necessitudine corpori nostro talique parti aliàs juncta, si denuo ipsi coniungatur.

Vrgenti quidem demonstrationi hætenus congeris assentire. Verū hæc duo obstant. Primò nondum constare an sanguini, & quod minus fidem meretur, puri ac saniei ex recens inflicto vulnere, vel ulceris naturam vetustate adepto, affluentibus, aliquid primigeniæ substantia i. fit. Secundo, concessa prima hypothese, quod eiusmodi substantia corporibus nostris iterum restitui possit, nihil obsistente locorum intercapedine, derides & pro naniis existimas.

Ad primum quod attinet, cum ex superius alatis constet, corporibus violenta morte interfectis aliquid primigeniæ substantiæ inesse, quoniam nulla intercessit causa, qua penitus à primis partium staminibus, quibus primario insidet, avelli potuerit: multo magis mananti ex parte cruori necnon puri adhuc inerit; quippe quæ nihil passa ipsam valens à residuo sanguinis purisque magmate dissolvere. In ipsis vero prius fuisse talem substantiam, hoc sit pro argumento.

Manat nō modo ex vulnere sanguis ille majoribus venis contentus, singularum partium alimentum adhuc remotum, seu aliturum, ut vocat Hippocrates, nullique membro specialiter affine; sed & substantia illa capillaribus contenta  
vascu-



vasculis quæ jam naturam partis, quam mox sub-  
bitura est, ob idque alimentum alens Hippocrati  
dicitur, non leviter redolet; humores pariter se-  
cundarii quos Arabes roris, glutinis, & cambi  
nomine insigniverunt; qui solo fortioris, levioris  
ve concretionis discrimine à partibus, quarum  
naturæ apponuntur, dissident, nec minorem sub-  
stantiæ primigeniæ copiam à solidioribus stamini-  
bus communicam, quam ipsamet stamina pri-  
ma continent, eamque facilius communicabilem  
ob nondum adeptam fortiolem concretionem  
quæ cuncta principia tenacius simul hærent.

Quod de secundariis humoribus, manantibus  
è vulnere sanguini admistis asseruimus; idem in  
pure, & sanie fieri credendum, est constat enim  
pus potissimum, ex congerie humorum secundari-  
orum; unde strictiori usu, ossium alimentum  
alens scilicet, ab Hippocrate nuncupatur: ab ussu  
me iudice, ex candidiori colore, & ossibus magis  
assimili, sumpto. Quod enim æque cæterarum  
partium, ac ossium sit alimentum apprimè tes-  
tatur adaucta, diminutave ipsius copia, pro ma-  
gis aut minus copiosa carnosarum, cæterarumque  
partium regeneratione & redintegratione.

Quantum vero ad secundum, h. e. circa me-  
dium, quo ejusmodi substantia primigenia par-  
tibus, cum reliquo humorum magmate excepta  
prout præcedenti particula exposuimus, parte



ex qua decidua est, longa etiam loci intercap-  
line appetit, afficit, iuvat, sequentia accipe.

Univerſam Mundi huiusce harmoniam ex mu-  
uo cæſtium & elementarium conſenſu pende-  
re, fuſius aliàs lib. De ſalſed. flux. & reflux. ma-  
is, &c. explicuimus. Præcipimus, videlicet, ſu-  
olunaribus corporibus igniculos cæſtes ineſſe,  
ſive portiunculam ſubſtantiæ illius lucidæ, ſim-  
policis & homogeneæ, in prima rerum creatione  
ſibi admittam, cujus ſolius auxilio cæſtium qua-  
itatum influxus & dominatus participant: me-  
diam pariter ſubſtantiã, cœli, ſub cœſtiumq;  
vinculum, & medium instrumentarium ſympa-  
thicæ corporum naturalium communicationis  
ibidem conſtituimus, ætheream ſcilicet ſubſtan-  
tiam per univerſum Mundum diffuſam, excelsa  
cæli, infimaq; terræ attingentem, ſimplicem, invi-  
ſibilem, & ſubiectum æquivocè appoſitum cun-  
ctis cæſtium influxibus ad ſublunaria deferendis.

Quantumvis autem de cœſti illo principio,  
quod corporum ſublunarium compositionem  
ingreditur, & de univerſali illa anima totum dif-  
fuſa per orbem fuſè, ut diximus, alibi loquuti ſi-  
mus, & inſignes apud numeroſam antiquorum,  
& neotericorum cohortem proſtent altercatio-  
nes vixque concilianda diſſidia, operæ tamen  
pretium arbitrati ſumus, ſi paucis, aliorum ſen-  
tentia propriam, levi contentione, ſuperſtrue-  
remus,



remus, immotum velut fundamentum totius m  
stræ dissertationis jacentes; ab expositione po  
mæ partis, quæ cœleste principium compo  
tium à primis elementorum maturis longè di  
situm in mistis admittit, auspicati.

Cum Aristoteles pluribus in locis arbitrari  
deatur, ex quinque simplicissimis naturis seu co  
poribus, Cœlesti videlicet, & elementaribus, prius  
in propria sphaera detentum sublunarium misti  
nem penitus abnuere, cuncta vero mixta & co  
creta corpora, mutua quatuor primorum alterat  
rum unione solummodo constare; non pau  
hinc commoti sunt, ut mordicus nil nisi elemee  
tare mista propriè attingere, ac subire, defende  
rent, cœlestem vero substantiam nullo, nisi fœ  
san accidentario, commercio cum ipsis commu  
nicare; inter quos, ut cæteros tateam, Avicenna  
Zabarella, Erastus, disput. contra Paracels. &c.  
primas tenere videntur, minime advertentes  
adversus præceptorem, quem defendere in anim  
fuit ipsamque veritatem contendere. Licet enim  
ut diximus, passim Aristoteles quatuor illas su  
stantias, quas elementa nuncupant, præcipuan  
mistorum materiam agnoscat; ut in libris  
Cœlo, de Ortu, & Inter. &c. Innumeris tam  
victus rationibus substantiam caloremq; cœlestem  
omnibus, animalibus homini verò præsertim  
cæterisque deinde perfecte mistis corporibus tra  
buere:



hic cogitur. De animalibus, & animatis merita luce clarius est. Cum enim illud, ut ipse loquitur primo physicor. text. 81. cuius ope aliquid fit, & expectandum evadimus, formam intelligit, quod ab elementari potentia longe altius & dignius augeat, quodque divinum ibi nuncupat. Purioriam, ac sublimiori materia indiget, vel ut ex ipsa potentia educatur, vel ut, quoquo modo educta, sit functiones perficere possit. Hincq; cum calor principium sit animæ instrumentum; Calorem autem neque igni esse, nec ab igne originem habere; pro statuto habet, de Gener. animal. lib. 3. De vi *γεννητικῇ*, quam *παρασκευα* Galeus appellat, quæ motionis Principium est in semine, eodem in eodem loco, censet, cujus substratam substantiam, ac famulantem qualitatem stellarum elemento respondere testatur.

Quod autem æquè bene cæterarum animarum cellulis, ac humano corpori, ejusmodi cælestis substantiam & qualitatem largiri consilium habeat, testatur illud ejusdem ibidem: *Ὅτι ἡ ἀνιμὰ potentia corpus aliud participare videtur, quod est magis divinum, quam quæ elementa appellantur.* Hæc Aristotelis de substantia cælesti opinio Platone præceptore desumpta in Timæo scilicet ingeniiti spiritus nomine relata, ut rationi & veritati maxime consentanea, sectatores non minus, nec vulgaris notæ nacta est. Huic assen-



ait Averroes, dum collect. sect. 1. censet *Partem* corporis natura agere, & affici à calore sibi innato qui alius sit ab eo, quem à temperamento adipiscuntur. Ipsi subscribunt pariter Scaliger exer. 100. sect. 18. & exer. 280. sect. 1. Fernel. Physiolog. lib. 4. Valeriol. & alii plures. Eadem est Latini Poetæ sententia 6. Aeneid.

*Inde hominū, pecudumq; genus, vitaque volantium  
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus  
Igneus est illis vigor & celestis origo  
Seminibus.*

Idem pariter ante alios novisse Hipp. testatur id quod de proximo animæ in actionibus edendis instrumento sub nomine ipsiusmet animæ lib. de Carnibus refert; Videtur sane mihi inquit, id quod calidum vocamus, immortale esse & cuncta intelligere, & audire & scire omnia, et præsentia, tum futura. Non enim arbitrandum Medicinæ Parentem, hinc de calore elementum tot referre encomia; cum ipsum adeo in corpore imbecillem lib. de prisc. Medicina existimet. ab ipso reverà calidi innati appellationem namq; notionem excepisse supra citatos Medicos & Philosophos probabile est. Sic enim sect. 1. Aphor. 14. Ταύξανόμενα, πλείστον ἔχοντες ἑμψυτον θερμόν.

De animantibus hætenus, de cæteris vivis corporibus mistis, an iisdem cælestes, ut cæ-



igniculi insint, non adeo constat apud Ari-  
 stotelem, licet ubi formas, loco jam citato 1.  
 Physic. text. 81. diuinum quid & superelementa-  
 re nuncupat, de formis in genere loqui videatur;  
 unde possit quis facile cætera mista perfecta de-  
 ducere, ut superelementaris formæ ac substantiæ  
 participia sint. Et revera hanc tæctur sententiam  
 Scaliger exerc. 307. sect. 20. *Omnis forma inquit  
 cuiuscunque perfectæ mixti, etiamsi non est anima,  
 Natura est quinta, à quatuor elementis, longè alia.*  
 Verum, ut hic authoritatem rationes suppleant;  
 arduum non est, si ea diligentius contemplemur,  
 quæ corpora, extra animatorum species conten-  
 ta peragere ac perpeti solent. Qualitates sive  
 actiones occultas, quarum inter inanimata tot  
 patent exempla, quis nescit à tota forma vulgo  
 eductas censerì, quòd in elementares energias,  
 quarum vim antecellunt, reduci nequeant? Ve-  
 rum cum substantialis forma subiecta materia,  
 debito modo disposita, indigeat; sive ut ex ipsius  
 potentia, ut volunt aliqui, educatur, seu ut aliun-  
 de adventans ea, tamquam instrumento actioni-  
 bus suis necessario, utatur, quis elementa for-  
 mam toto genere à se differentem, multoque su-  
 blimiorẽ, nisi Philosophiæ inscius, producere  
 posse crediderit, vel ultra sphæram activitatis  
 propriæ agere posse, formæ naturæ admodum  
 diversæ, famulantia, vel manifestis qualitatibus  
 occul-



occultas, novo prodigio, eduentia. Prout igitur inanimata corpora supra elementorum vires actiones suas produnt, alia pariter ipsis materiis concedenda est, quæ valeat pro natura sua ad id concurrere passivè, quod forma activè perpetratur, quæ nulla alia esse potest præter illam, quam cœlestem superius diximus. Hæc de actionibus accedentibus quas concurrat materia mistorum inanimatorum. Ex ijs quæ patiuntur idem colligi potest. Ipsa enim inanimata corpora, ut lippis ferè & tonforibus est notissimum, nec authoritatibus aut experimentis hic tempus conteri debet; non adeo vehementer, sensibiliter tamen, à furibilibioribus & cœlestibus corporibus; multas perpeti alterationes, indies observamus. Sic ut mente captus censeatur, quem tot tantas mutationes inficiari non pudeat. Verum cum ex Aristotelis mente, & cæterorum amplectendis, melioris notæ, Philosophorum sententiis, cœlestis substantia & qualitatibus, vel ut verbo dicam, natura penitus ab elementis, & elementaribus substantiis differat, quæ fiet quod inanimata mixta cœlesti virtute alterentur; nisi aliquam cœlestis substantiæ portionem, aut quid saltem ipsi analogum participant. Ut enim fiat actio, patiens capax esse debet recipiendæ actionis; quod fit, ut optime docet Aristoteles lib. I. de Generat. & corrupt. c. 7. Text. 50. *si fuerit agenti aliquid*



do simile, quodammodo vero dissimile. Hæc sunt quæ  
Scientiarum antistites hætenus credidere; rem  
paucis ex propria mente contraho.

Cum elementaris substantia, ut de semine  
muliebri loquitur Aristotiles, potius, pati, &  
vice materiæ subterni, ut ex ea mistorum partes  
conflentur, apta nata sit, quam agere: potissi-  
mum vero ad λόγον τῆς οὐσίας, ut Aristotelis ver-  
bis utar, producendum, aut ipsi producto im-  
mediatè ministrandum: Natura omniscia, à pri-  
mo mundi ortu, vel dum omnia turbarentur, ut  
vult Hippocrates lib. de Carnibus, aliquid cœle-  
stis substantiæ elementorum consortio peculiari  
modo deuinxit: ut, forti velut compede, altio-  
ris naturæ ἐντελεχείας cum materia crassiori ar-  
tius alligaret, ipsis famularetur, & esset tam-  
quam cœli, terræque vinculum. Hinc fabula  
Promethei ignifuris, apud Aeschylum. Hinc  
procreationis Deæ conjugium cum fabro Deo-  
rum ignito: hinc etiam digna Trismegisti sen-  
tentia, quæ smaragdina, immo adamantina ta-  
bella insculpatur; *Quod deorsum, idem est, ac  
quod sursum est.* Hujus cœlestis tantum materiæ  
adminiculo corpora hæc infima, miris inter se  
sympathijs & antipathijs, ultra elementorum  
δυνάμεις, inter se afficiuntur; elementares sub-  
stantiæ cœlestium tanquam commercio, æter-  
no motu, ac mirabili ordine frui videntur, &



vultus sublunarium, ut habet Ptolemæus in Centiloquio, vultibus cœlestibus subiecti sunt.

Cum tandem ad differentis naturæ substantias simul vincendas peculiari quodam nexu usque sit natura, ut ex duobus unum quid concresceret, medium illud unitiuum est idem quod toties alibi principium concretionis nuncupauimus; cuius ope non modo cœlestis substantia cum elementari coalescit, verum & mixta inter se uniuntur & concrescunt, extra elementorum *διυαμεις*: qualia sunt quæ in calido, & humido coagulantur; & quod diversam à diversis, prout ratione aut effectuum quos producit, aut substantiarum, quibus potissimum inesse animacœ vertitur apellationem sortitum est. Modò enim succus lapidescens; modò vero sal coagulans, aut concretius spiritus à neotericis apellatur. Et re verà potissimi magisque sensiles cœlestium corporum effectus in hæc sublunaria, secundum intentionem aut diminutionem ejusmodi concretivi principii fieri videntur: quod quidem prout laxiora aut densiora corpora efficit, humiditatem vel siccitatem ipsis inurere videtur. Vnde astrorum, quamvis improprie, quædam calida, & humida uuncupantur qualia sunt ♄, ♀, in animal. singulo, & ☿ inter planetas quoniam, dum vires suas in hæc inferiora exerunt, calorem, & humiditatem elementarem,

con-



concretis corporibus dissoluendis æmulari videntur; quod idem de ceteris secundum qualitates sibi inditas sentiendum est, ne singula sigillatim percurrames. Verum jam à meta digressus videor, & de igniculis cœlestibus elementorum compede vinctis hætenus.

Iam sequitur, ut media illius substantia, cuius auxilio, inuita locorum intercapedine, sublunaria à cœlestibus gubernantur, moventur, alterantur, naturam exponamus. Cum enim, ut Aristoteles passim in lib. de generat. & corr. asserit, *omnis actio inter corpora per contactum sive proprium, sive virtualem fieri debeat*; nulloque alio modo patienti agens applicari possit, prima certe hic species ne admittatur locorum discrimen prohibet; ultra quod nullum in cœlesti substantia motus principium admittitur, quo inferiora petere apta nata sit. Sequitur igitur, ut detur aliquid tertium, quod utrisque interjectum, & utrorumque superficiem, intimaque attingens, virtualis contactus sit organum, in quod diffusa corporum superiorum virtus ad inferiora deferatur. Elementares enim substantias, aerem videlicet & ignem, quem admittunt non pauci, huic esse negotio ineptas, ex ijs, quæ superius dicta sunt, satis liquet. Siquidem elementa in mixtis, cœlestes influxus renuentia, cœleste quid, ultra quatuor illa prima corpora, actioni recipien-



de accommodum doctiores concedere coegerunt: quanto minus simplicia illa elementa influentiæ, & virtutum, quæ sunt à propria φύσις alienæ ad inferiora mixta deferendarum instrumenta esse sentiendum est. Non enim; ut tertia quæstione retulimus, qualitates certis determinatæ substantiis, è subiecto in diversæ naturæ subiectum migrare aptæ natæ sunt.

De medio illo per quod cœlestes virtutes deorsum propagantur, & universus orbis, miro inter partes consensu, gubernatur; non eadem inter omnes fuit sententia. Quidam enim, ut modo retulimus, huic harmoniæ aerem, sive, ut dicunt, æthera sufficere arbitrantur. Quod quantà ratione à nobis confutatum; diutius urgere non convenit. Alii; inter quos primus est Plato, totaque ejus schola, rem longè altius extulerunt. Ipse enim Plato in Timæo passim, & in Parmenide, miram mundi syntaxim, jugem æternumq; motum conspicatus, cœlestem quandam intelligentiam, & immaterialem substantiam, quam Mundi animam appellat, constituit.

*Quæ boni sive, ut inquit, eterni patris mente subordinata, rerum ac specierum omnium, in mente divina conceptarum ideas continet, quarum semina in astris atque sublunaria diffundit, vimque generationis & cōservationis ipsis inserit, ut & secundum speciem propagari & sese tueri valeant: quæ quidem, pro*

*summi*



omni Boni voluntate, nutuque Aeterni patris,  
 agiter & indefesse, secundum leges sibi impositas,  
 auxilium tamen animæ mundi perficiunt. Sicq; univer-  
 sum orbem quoddam velut animal esse conten-  
 dit, cuius singulæ partes sint quasi membra, qui-  
 bus mens, seu anima universi peculiares largia-  
 tur formas. Sic enim ipse in Timeo; Volens, in-  
 quit, Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo  
 & undique absolutissimo nundum hunc similli-  
 mum reddere, animal unum ipsum effecit aspectui  
 subiectum, animalia cuncta naturæ suæ convenien-  
 tia, intra suos limites continens. Hanc Platonis opi-  
 nionem tota fere sequuta videtur antiquitas, ut  
 canit Vates 6. Aen.

*Principio cælum, ac terras, camposque liquentes  
 Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra  
 Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
 Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Mirantur verò docti naturæ, ut dicunt ge-  
 nium Aristotelem rem indecisam, immo potius  
 intactam, reliquisse,

Galenus rei quidem diversis in locis assentit,  
 potissimum verò 2. de diebus decretoriis c. 2. ubi  
 sic habet: *Hæc inferiora & si ordinem & artificium  
 admirandum contineant, longè tamen à cælestibus  
 superantur, à quibus quidquid pulchrum & ordina-  
 tum in hæc inferiora procedit.* Verum quonam mo-  
 do hoc fiat, nusquam, quod noverim, exponit.



Ceterum quam parum rationi Platonis sententia sit consentanea, dum quicquid est in hac mundana scena animatum, ejusdemque formæ participes esse contendit, urgere necessum non videtur. Ex sese enim ipsa corruit, absurditatum, quæ hinc subsequuntur, numerosa phalange.

Arbitrantur plerique alii cœlestem quandam substantiam è sideribus ad inferiora emanare, cum qua ipsa pariter astrorum, è quibus procedit, virtus in hæc inferiora transfunditur: quam quidem radii nomine alii; spiritus vero astralis appellatione alii indignant. Sic enim Auct. occul. philos. lib. 1. cap. 33. *Omnes stellæ suas proprias habent naturas, proprietates, conditiones, quarum characteres per suos radios etiam in istis inferioribus, producant, in elementis, in lapidibus, in plantis, in animalibus, & eorum membris.* Huic pariter assentit Conciliator Differ. 101. & alibi passim. De spiritu astrali hæc habet R. Goclen. Junior in Synarthros. Magnet. p. 102. *Spiritus astralis, in hæc inferiora influens metallis, lapidibus, ac plantis, se non accommodat tantum, verum etiam in eorundem substantiam occultè se ingerit.* Et infra. *Hic autem Spiritus influit naturali prorsus modo.*

Hæc, me hercle, sententia, quam doctiorum plures amplectuntur, & fovent, quamvis primo intuitu sensu carere non videatur, eam tamen si  
pro-



propius rimemur, tantis implexa difficultatibus apparet, ut eam deferere cogamur. Si enim admittamus per astrorum radios, aut sine ipsis, quocumque modo, corporeum quid ex illis emanare, qui sit quod jugi illo effluxu eorum substantia non absorbeatur; cum ulla ratione talem resarciri dissipationem nemo docuerit. Ceterum cum influentia astrorum sit momentanea, in hoc, vel illo positu; quis crediderit cœlestem corporeamque substantiam, cui gravitatis motum nemo fuit adeo subductæ mentis ut tribuere ausus sit, ad hæc inferiora in instanti moveri; quasi motus successivus non debeat fieri in tempore, aut longiori, aut breviori pro loci intercapedine, & propensione corporis ad motum: ut deexteriore agenti nihil dicam. Nec demum, si solis astrorum radiis virtus propagaretur, absente ab horizonte fidere, virtutis actio durare posset: quandoquidem radios pari secum motu rapit; cum tamen secus experimenta doceant: quod, scilicet, absente ab hemisphærio astro easdem vires exerceat in hæc sublunaria, donec eundem positum deferuerit.

Satiùs igitur credendum est, Naturam, cui peculiaris semper fuit cura ut indefessum cœli, ac terræ commercium, velut admirabilis harmonia totius mundanæ machinæ perduraret, à primo Mundi ortu cœlestem quamdam substantiam



per universum orbem disseminasse, quæ, ut superius diximus, excelsa cœli, infimaque terræ attingens, simplex & invisibilis, ac à corporis mole libera cum sit, omnia replet, & illustrat, quamvis tamen loci nihil occupet, formarum substantialium adinstar, quæ accidentario sunt in loco, nec tamen divisibiles, aut cum materia miscibiles, licet quælibet tota sit in subiecto sibi corpore, & in singulis ejus partibus.

Hæc igitur substantia, nec animata, nec animans, subiectum est æquivocè appositum cunctis cœlestium corporum influxibus ad hæc inferiora deferendis. Eorum enim *diversis*, virtutes, characteres, & impressiones suapte natura recipit, eorumque irradiationem integram, puram putamque ad intimas quasque cujusvis naturæ corporum partes deferit, quorum internosc igniculos suscitatur, ipsisque receptas vires impertit.

Hæc eadem substantia non modò qualitates ab elementariis longe discrepantes cœlitus in hæc inferiora diffunduntur; verum & igniculi cœlestes singulis mistis innati, ut sint propriæ formæ instrumentum proximum, ejusdem ope mutuò inter se consentiunt, & se invicem appetunt, prosequuntur, afficiunt.

Licet igitur ad mutuum ejusmodi consensum, ætherea quandoque substantia magisq; diffusili  
à cor-



corpore in corpus plerumque diffundantur, unaqueque è corporibus spirituosæ substantiæ cuncta unum afficiat aliud, potior tamen sympathicæ energia ex impresso propriæ virtutis cunctis characterismo in substantiam illam ætheream totam diffusam per orbem, quam animam spiritumque mundi si dixeris per me licet, & in aliud corpus ejus ope transmissio, petenda est.

Vnde non mirum, si velut corpora cœlestia nihil obstante locorum intercapedine qualitates influxusque suos in hæc inferiora, media anima mundi, transmittunt, igniculi etiam cœlestes solunaribus adstricti corporibus, ejusdem animæ mundi intermedio, per loca maxime dissita mutuo se afficiant. Hinc autem multa, quæ occultissima hæcenus in rerum natura habita sunt, tibi detegere facillimum est; hincq; sympathicæ vulnerum medicationis ratio magis elucet.

Verum penitus sic urges. Quidni, concessis hypothesebus præmissis, cuncta ejusdem speciei & naturæ sese invicem mutuo concursu afficiunt: nec magnes magnetem, ferrum aliud ferrum, adamas ejusdem speciei lapidem allicit? Porro quorsum pleraque eorum quæ tali sympathiea inter se communicant ad terminatam solummodo loci distantiam vim, roburq; suum produnt? & quid tandem profit inspersus pulvis ad affluentis sanguinis commercium cum parte ex qua effluxit? Quorum hæc sit solutio.

Cun-



Cunctis quidem sublunaribus corporibus substantiæ lucidæ ac cœlestis pars non exigua inest: verum ne altioris originis memor à compede liberans inferiora, imparisque naturæ corporum defereret; firmissimo & velut indissolubili vinculo elementari parte à natura connexa est: unde ne ab ipsa quidem se satis liberare potest, ut propinquiora corpora sui partem diffundat. Nemo mirum, si fortior ejusmodi principiorum connexus spirituum epirrhoiam in cæteris prohibeat, cum adeò sit levis æthereæ substantiæ emissio, qua tot mira ex magnete contingunt, ut solo litu alii coerceatur. Nota autem, per modum digressus, falso inter vulgus recipi, quod magnes magnetem sibi non proliciat. Contrarium enim experimur sub nautica pyxide magnetem circum circa obvolventes. Acus enim pyxidæ contentæ apex magnete infectus ambientem æquo motu insequitur subiectum lapidem.

Cæterum cum ea quæ mutuo consentiunt, vel sola substantiæ emissionem, vel solo virtutis impressu in anima mundi, vel utroque simul modo se afficiant; primus agendi modus loci distantiam maxime adstringitur, quippe quod natura corporum adeò latam non patiaturni interni spirituum diffusionem, ut ex operatione magnetis in ferrum succini in festucam, &c. manifestum est. Item energia ramorum ficus in recens mactatam arborum malium



alium carnem molliendam, ad locum limitata  
em testatur, velut & Aetites in arborum fructus  
corsum proliciendos. Quibus non ineptè addi-  
eris, quod si dum panes in clibano remanent;  
elidæ placentæ ex eadem massa confectæ cul-  
lo discindantur, cuncti panes subleuatitii fiunt,  
e. integræ crusta à mica sua deuellitur & sepa-  
tur, ob sicciore quosdam spiritus, quibus im-  
ægnatur placentarum halitus per chalybis vel  
ri contactum, vnde viscida panis qualitas, ob  
nam crustæ adhæret mica, infringitur & eva-  
escit.

Secundus vero operationis modus, per im-  
ressum virtutis communicandæ characterisimum  
æquiuocum subiectum eiusmodi qualitarum,  
mod medium instrumentarium & animam mun-  
diximus, nulli adstringitur locorum interca-  
edini, prout medium subiectum per vniuersum  
orbem longè lateque se diffundit, velut astra hæc  
inferiora lustrant, sol viscera terræ, luna intima  
maris, peruadit; & astra ferè cuncta coelitus mu-  
tationes in corporibus nostris perpetrant, ma-  
nes dissitam quantumuis cynosuram insequi-  
ur, ut infinita penè alia omittam.

Tertius tandem operationis sympathicæ mo-  
us, qui ex utrisque pendet: post certam quandam  
istantiam, licet vim & energiam ubique loco-  
um seruet, ex nimia tamen intercapedine vis

ejus



eius non nihil hebescit. Ejusmodi autem est inter  
 cetera operatio, quæ in sympathica vulnerum  
 medicatione contingit. cum impressa enim virtute  
 re in subiecto æquivoco diffunditur pariter et  
 sanguine vel pure quod effluxit tenuior magis  
 ætherea residui spiritus portiuncula, quæ pro  
 cum parte magis cœlesti aliquid adhuc elemēta  
 re participat, potissimum instrumentum est na  
 tationum primarum qualitatuum elementarium  
 quibus velut idoneum subiectum imbutur, et  
 affectam partem deferendarum, ut & pariter vi  
 glutinatoriæ, quæ ex admittis pulveri gummi  
 procedit, & sarcotica, & quæ cicatricem induci  
 quam vitriolum suppeditat. Quæ quidem re  
 minus procedant, si in loco nimis disito à pa  
 tiente, pluribus videlicet miliaribus asservetur  
 pannus sanguine, & pulvere aspersus.

Quantum denique ad insperfi pulveris usum  
 scire convenit in sanguine vel materia purulenta  
 sympathicæ curationi inservitura, duo expectari  
 Primo, ut integra cunctisque absoluta numerum  
 servetur, ne pars cœlestis, & ætherea se ab elemēta  
 tari penitus expediat, & ipsam effoetam ac inut  
 lem relinquat, ut ex omnimoda sanguinis corrupti  
 ptione, & dissolutione contingit. Secundo, ut fiat  
 totius corporis sanguinis apertio, h. e. ita disso  
 vantur invicem principia, & heterogeneæ sub  
 stantiæ, ut simul adhuc juncta æquivoco subiecto

five



ve animæ mundi corpus pervasuræ & innata  
ualitate residuæ in sanguine cœlestis substantiæ,  
insigniendæ, ad intimiores particulas liber pa-  
eat aditus; sicque principia invicem velut hient,  
dehiscant, nexu tamen adhuc fortissimo vin-  
iantur.

Gemina autem hæc conditio ex pulvere no-  
to acquiritur. Prout enim ipsius materia, vitrio-  
um scilicet arte paratum elemētaribus ac cœle-  
stibus qualitatibus præditum est, in sanguinem  
el pus secundum singulas ipsorum partes actio-  
nem edere potest, Vitriolum enim substantiæ  
est salina, humido aqueo, quali totus fere sanguis  
constat; facile dissolubilis, & ipsi per minima ad-  
miscibilis. Prout autem salinam naturam ade-  
tum est, corruptioni & omnimodæ principio-  
rum dissolutioni ab invicem cohibendæ aptum  
est. Ipsis enim imbutus ea fixa minimeq; evanida  
reddit. Prout vero ipsi vitriolo, non secus ac cui-  
us salinæ substantiæ, æthereus spiritus inest, te-  
nuis, penetrans, & cœlestium qualitatum capax;  
iutino vero cum sole commercio, ut ita dicam,  
per moram ad eius radios, eo tempore quo talis  
planeta in propria exaltationis mansionē versa-  
tur & vivificis influxibus communicandis appri-  
ne potens est, omnigenam perfectionis speciem  
consequutus est, sanguinem ipsum atque pus ad  
ma vsq; principia penetrat & peruat, cœlestia



ab elementaribus quodammodo divellit, & li-  
rum vndequaque aditum æthereæ mundi animi  
parat, quo penitiora ingredi, & commercio  
ternæ cœlestis substantiæ frui, eiusdemque viv-  
cis & natura corporis nostri amicis, ne dic-  
propriis qualitatibus affici & intingi possit: qu-  
postea in appositum & affine vulneratum corp-  
quod individuali quodam nexu & proprietate  
cernit & appetit, quovis terrarum transfundit  
& ipsius innatum robur redintegret, adauge-  
perficiat, & incolumitati deperditæ recuperari  
aptum, idoneumque reddat.

Non leuiter etiam iuvat, quod substantia mi-  
gis æthereæ sanguinis, quæ cum virtute, animi  
mundi impressa, in læsum corpus se diffundit, mo-  
modò qualitatibus vitrioli imprægnatur, ver-  
& tenuiorem eiusdem substantiam secum devel-  
Prout enim totum vitriolum, sic & singulæ ei-  
particulæ membra roborare, carnem generare  
& cicatricem inducere aptæ natæ sunt. Idem  
riter, vt superius diximus, de osteocollica gum-  
virtute sentiendum est; quod nimirum à crassi-  
fecula corporis soluta, ope penetrantis vitri-  
substantiæ, vel cum æthereæ quadam substan-  
quæ à proprio gummi corpore effluxit, vel si-  
impressu qualitatibus in spirituosam sanguinis  
stantia, ad vulneratam partem deferatur. Et h-  
de pulvere hætenus.



Mirabere forsan, quod de insitis tantum, de  
fluentibus vero spiritibus quidquam nihil di-  
erim, quasi ad sympathicas actiones in corpore  
equicquam conferant. Scias tamen hoc me con-  
tò omisisse, quamvis non inscium stupendæ  
orum virtutis, qua eiusmodi operationes pro-  
mouent. Primò quoniam ad subiectum non ab-  
solutè necessarij viderentur. Secundo, ne diffici-  
us persuaderem crassioris Mineruæ hominibus  
eiusmodi spiritus in emortuis, cadaveribus, in  
anguine & similibus è corpore nostro eductis  
iutius asseruari & permanere.

Ne rem tamen intactam omnino relinquam,  
morem iudicum consulueris, qui fluente è ca-  
daveris vulneribus sanguine ad præsentiam ho-  
mici dæ detectum crimen arbitrantur; ob recur-  
um spirituum versus nativam originem, qui tem-  
pore conflictus ex homicidæ in occidendum cor-  
pus confluxerant; unde sequitur prævia concreti  
sanguinis dissolutio ad spirituum expeditionem  
& accidentaria effluxio. Si pariter tibi non igno-  
ta mira cuiusdam historia, quam Taliacot. de  
Curtor. Chirurg. refert; qui cum excisum nasum  
ex alieno corio sibi refici curasset, & eo dudum  
proprio decore usus esset, repente aliquando  
sphaelo correptus cecidit. Ignotam causam  
mirantibus cunctis, quam mors illius, qui venale  
corium exposuerat, quæ eodem tempore lon-  
gin-



ginguo in bello contigerat, paulo post detexit.

Hæc inquam & alia plura si diligentius perspexeris, facile erit animadvertere, quanta spiritus interfluentes sympathicis operationibus opē & auxilium ferant. Hoc pariter norunt aniculæ nostræ, quæ sulphure & calidis cineribus in recentem excretam alui faciem & inspersis, diarrhœam, dysenteriam in illis, qui ianuas suas coinquinarunt, concitant.

Verum quid plura moror? Scopum assequutus videor, nempe pulveri nostro omnem maleficam suspensionem ademisse, & ad naturalem causam eius virtutem quodammodo reduxisse. Quæ verba de ipso dicta sunt ad internam eius ageudi rationem detegendam, utinam tibi noua satis, ut meliora docere suscipias, mentemque nostram auctiori cognitione illustres. Mihi etenim in magnifico voluisse sufficit.

**F I N I S.**



Papaver  
Med. Therap.  
" Occult  
Higginson  
physiology



